



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 7. Henrici VIII. metus ob Scotiæ Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

cum vero nullatenus impetrare potuisset, ut ejusmodi edicto æqualis omnium consensus accederet, atque aliunde quempiam ob hujus legis transgressionem castigatum fuisse, Scriptores fileant, gravi conjecturæ locus est, quod Rex lege clam edita prohibuerit, ne sex articulorum edictum saltem sub capitis pœna executioni mandaretur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1541.

§. VII.

Henrici VIII. metus ob Scotiæ Regem.

Quamvis omnes in Anglia Henrici Regis voluntati cœco obsequendi studio cederent, nihilominus hic Princeps anxiiis curis agitabatur ob Scotiæ Regem; hic enim, licet Henrici nepos esset, jure eidem offensus erat, ut facile Anglis, si novam regiminis normam indignarentur, atque in Septentrionalibus Provinciis magno numero confluerent, præsto esse potuisset. Præprimis vero pertimescebat Henricus, ne Scotiæ Rex, cum Catholicorum consiliis exacte inhæreret, immoto Religionis studio adactus contra eum quicquam moliretur; jam enim plures effluxerant anni, intra quos hæretici in Scotia rogi supplicio plectebantur, cum vero Sectariorum numerus in dies magis magisque in Regno cresceret, hinc eorum quoque factio po-

Sæcu'. XVI. tentia, atque auctoritate augebatur, ut
A. C. 1541. proin Jacobus V. hinc Lutheri affectis
Buchanan. Angliæ Regi faventibus cingeretur, il-
hist. Scot. linc vero se firmiter munitum crederet
 viribus Catholicorum, qui Henrico Re-
 gi toto studio adversantes nullum non
 movebant lapidem, quatenus Scotiæ Re-
 gem eo inducerent, ut omnes ab avita
 Religione alienos castigaret, quorum
 partes ac consilia Jacobus etiam seque-
 batur.

§. VIII.

*Colloquium ab Henrico oblatum, atque
 a Scotiæ Rege rejectum.*

Cum igitur Angliæ Rex probe cogno-
 sceret, quod Jacobus Catholicorum,
 qui toto studio Sedi Apostolicæ adhæ-
 rebant, studia sequeretur, haud parum
 vereri cœperat, ne hi tandem Regem
 suum eo inclinarent, ut adversus Anglos
 cum summo Pontifice ac Cæsare armorum
 societatem iniret. Hic timor pot-
 tissimum exinde augebatur, quod nul-
 lum ultra sibi præsidium repositum esse
 cerneret in Galliarum Rege, qui, licet
 veteri amicitia Anglis junctus esset,
 nunc a pristino suo in Angliæ Regem
 studio plurimum remiserat, ac Scotiæ
 aulam pro arbitrio moderari solitus erat.
 Hac igitur ratione permotus Henricus
 omnes dexteritatis artisque suæ fontes

ex-